

/ Cum rerum omnium moderator Deus immensa sua bonitate ex nihilo  
 cuncta produxisset earumque curam habere voluit uti antequam nondum  
 existerent creator illis minime defficeret, sic nec provisor deesset,  
 propterea cum in superiore mundo tum in hoc inferiore gubernatores  
 5 sua infinita sapientia et ad coelestia et ad terrena moderanda desti-  
 navit, terrenis vero qui praeescent et carne et spiritu constare vo-  
 luit vel ex eo primum tempore quo haec caduca corporali sua praesen-  
 tia privavit, inquiens Petro: Pasce oves meas, et alibi: Per me reges  
regnant, etc.: ideo pastores propriis gregibus semper assistere iussit  
 10 neque ob eorum absentiam qualiquid detrimentum paterentur; quinimo  
 omni cura ac solicitudine adhibita ab omni damno et periculo oves suas  
 deffenderent, super his gravis incidit mihi quaestio cum nonnullis  
 meorum familiarium paucis abhinc diebus, nimirum an episcopi tanquam  
 pastores impune a propriis ecclesiis per duos vel tres annos abesse  
 15 valeant, et an Romanus Pontifex huiusmodi absentiam tolerare debeat,  
 cuius quidem difficultatis solutionem cum diu multumque ultro citro-  
 que adductis rationibus inter nos planum reddere diuersa opinantes ne-  
 quiremus, ad Amplitudinem tuam referendum, tuumque iuditium expeditan-  
 dum unanimi consensu decrevimus, quod oneris pro ea qua pollet humani-  
 20 tate ac benignitate non gravetur, volui tamen et virium mearum tenui-  
 tatem in hac re experiri et his litteris Amplitudini tuae cui omnia  
 subicio proponere et declarare.

Itaque ut mea fert opinio, episcopi per tam longum spatium tempo-  
 ris a propria ecclesia abesse non possunt, nec Romanus Pontifex huius-  
 modi absentiam tanquam divino iuri contrariam ullo modo valet tolera-  
 re. Qui vero contra sentiunt, eas quae sequuntur adducunt rationes. Et  
 primo; licet episcopis abesse a suo grege, quando gressus insidietur sa-  
 luti eorum; ab hoc enim periculo iuste semper declinare possunt, ut  
 docet D. Thomas, 2. 2<sup>ae</sup> q.185, art.5; quod confirmat auctoritate Iulii  
~~Pontificis in epist. ad Orientales, et Pelagii XI in epist. ad Benignum.~~

1 Pontificis in epist.ad Orientales, et Pelagii XI in epist.ad Benig-  
 num. 2º Quemadmodum ex dispensatione Pontificis, unus in dignitate  
 constitutus, duo beneficia etiam quae requirunt personalem residen-  
 tiam habere potest, ita etiam ex dispensatione Pontificis possunt e-  
 5 piscopi abesse per longum spatium temporis a sua ecclesia, quum solam  
 habent potest dico ex dispensatione, ut ante approbaverat Conc.  
 Trident., sess.7, cap.4 de reformatione, et Sess.22, cap.3, quod semper  
 manet in suo robore; ex dispensatione tamen Pontificis, ut Navarrus  
 exponit, cap.25, n.127. Tertio, Pontifex potest mittere episcopum ad  
 10 aliquod negotium peragendum in ~~remotissimi~~ remotissimis partibus etiam-  
 si per spatium duorum vel trium annorum perfici non possit; cuius qui-  
 dem suprema auctoritas super episcopos est satis manifesta. Quarto,  
 licet episcopo subvenire sua praesentia et industria alteri dioecesi;  
 caritas enim christiana hoc requirit. His igitur habitis casibus, in-  
 15 quiunt licere episcopis abesse a sua ecclesia; contra vero illud ~~modo~~  
 quod proponimus, non licere Romano Pontifici admittere absentiam epi-  
 scoporum, offenditur enim ius divinum de residentia, proferunt in me-  
 dio nonnullas rationes quae mihi videntur esse Ambrosii Catharini in  
 tractatu de residentia episcoporum. Primo, episcopi immediate recipi-  
 20 unt suam potestatem a Romano Pontifice et non a Deo, et inde sequitur  
 quod praeceptum de residentia a solo Pontifice recipiunt; itaque non  
 esse de iure divino a ssistere Ecclesiae. Secundo, soli Petro dixit  
 Dominus: Pasce oves meas, ergo solus Pontifex Romanus ex praecepto  
 Domini praeesse debet suaee ecclesiae; aliis autem episcopis hoc non  
 25 dixit, igitur ex praecepto Romani Pontificis residere debent in suis  
 ecclesiis. Tertio, multi sunt actus qui soli episcopo conveni-  
 unt, ut concionari et conferre ordines sacros et alia; ergo eadem ra-  
 tione possunt suos actus per ministros et per alios episcopos exerce-  
 re. Quarto, Papa non potest dispensare in iis quae sunt de iure divi-  
 30 no, tamen potest dispensare de residentia episcoporum, quae in sacris  
 Scripturis non reperitur; ergo.

77<sup>6</sup>

/ Meam autem sententiam, quae mihi verior videtur, salvo semper iuditio Amplitudinis tuae sustinendo, dico primum: Non sine culpa evadere possunt illi episcopi qui absunt ab ecclesiis eorum, quae illis tanquam pastoribus ad greges suos pascendos ac custodiendos commissae sunt; potius enim ii pastores qui greges suos relinquunt, curant se pascere, et commodis suis ac saluti propriae inservire, animarum autem saluti quarum eis cura commissa est, consulere volunt, sed vae pastribus qui pascunt se ipsos! Quod infirmum fuit non consolidastis, et aegrotum non sanastis, quod confractum non alligastis, et quod abiectum non reduxistis, et quod perierat non quaesistis, etc. Et: dispersae sunt oves meae, eo quod non est pastor, etc., inquit Dominus per Ezechiem, cap. 34, et paulo infra: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem de manu eorum (sed quomodo quaeso requiras, Domine, gregem tuum de manu eorum pastorum qui et manibus et pedibus procul sunt ab eo) et cessare faciam eos ut ultra non pascant amplius pastores seipsos, haec dicit Dominus". Haec verba Domini optime quadrant in eos pastores qui relinquunt gregem suum propter commodum proprium; seipsos curare student: greges enim qui in montibus errant et in universo colle excenso, ut inquit Dominus per Ezechiem ubi supra, absentia pastorum errant, propterea audite pastores verbum Dei; vivo ego, dicit Dominus Deus, etc. eo quod non esset pastor, etc. Absentia igitur pastorum periclitantur greges ne in devastationem bestiarum deveniant. Quam quidem absentiam quantum Deus oderit ac detestatus sit, audiamus Zach., cap. 11: O pastor, et idolum, derelinquens gregem: gladius super brachium eius, et super oculum dextrum eius; brachium eius ariditate siccabitur, et oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur. Isti pastores idolis comparantur, quia foris imaginem pastoris ostendunt, sed vere non sunt pastores; nam etsi oculos habeant, tamen non vident; etsi aures habeant, tamen non audit flagitia gregis, et simulant, et gregem errare permittunt. Si absint igitur ab ecclesiis suis episcopi qui pastores sunt, nec bene nec

/ recte regentur; ad hoc enim instituti sunt ut ipsi regant ecclesias suas, sicuti patet Act., cap.20; deserentes autem eas mercenarii fiunt, ut inquit Dominus Ioann.cap.10. Non sunt instituti tantum ad honorem et dignitatem, sed praecipue ad opus et laborem, inquit Hieronymus in epist.ad Oceanum, et Augustinus, lib.19 de Civitate Dei, cap.19, exponens illud verbum Apostoli, 1 ad Timoth. c.3: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Apostolus enim exponere voluit quid sit episcopatus, quia nomen est operis, non honoris. Sed quis labor, quod opus erit in episcopis absentibus a gregibus sibi commisis, quas per se ipsos et praesentia sua regere nolunt? deficientes in proprio illo suo munere, quod magis proprium est laboris ac operis quam officii. Posuit enim Deus episcopos regere Ecclesiam Dei. Act.c. 20. Sed quis affirmare possit absque mendacio Ecclesiam suam gubernari, si eam derelinquat? Frustra enim et immerito cum magna instantia volunt appellari, quasi speculatores ac vigiles sint, et custodes super muros Hierusalem, et ministri ac dispensatores sint, cum munus suum nescientes putant se bene regere ecclesias suas et gregi suo per alios invigilare eumque pascere; qui quidem alii semper non amore ac honore Dei, sed lucri faciendi cupiditate ~~tqnaugm= tq~~ tanquam mercenarii ignorantibus veris pastoribus, oves devorant; quorum omnium causa est absentia pastorum, ipsi enim praeesse et vigilare debent gregi ~~x~~ suo et ab eo non abesse: eum enim derelictum et alienae curae traditum facillime lupi rapiunt, sine praesentia pastoris, quamvis adsint ii ad quos gregis cura minime spectat, quoniam et opere et honore et existimatione carent, quae omnia in episcopis quibus cura gregis commissa est semper sunt videnda; et eo magis, ut bene contemplatur Sotus, 1° de iure et iustitia, quaest.3 , art.1; dicens: "Nemo sine episcopi auctoritate et gravitate et amore quo gregem prosequi tenetur, atque adeo sine praesentia eius perficere valet. Item neque visitationis longissima experientia testatur per alium quam per se ipsum fieri caste posse". Et paulo infra inquit: "Quid enim opus est tantam soli-

/ citudinem et vigilantiam adhibere ad digniorem eligendum quantum iura  
 omnia clamant, si satis est episcopo alios ecclesiae suae ministros  
 delegare? Nec valet illud quod nobis de Valerio episcopo obiciunt,  
 qui Augustinum sibi substituit; id enim fecit ingravescente iam aeta-  
 te, quando vires sibi non suppetebant. Gravis igitur mihi error vide-  
 tur esse in episcopis, qui in propriis ecclesiis non resident, et r  
 gregem suum non personaliter pascunt, quia non solum contraveniunt  
 officio quod ad episcopos tanquam ad pastores spectat, verum etiam de-  
 creto quod legitur in Concilio Nicaena, c.15, Non oportet, et decreto  
 10 Gregorii, l.5, epist.23, ad Anthenium subdiaconum, quod incipit in de-  
 cretis, 8, q.1 Pervenit. Et quanta patientia ac labore gregem suum  
 pascere ac custodire debeant et, si opus est, infirmos ex grege hume-  
 ris deferre ad suum hospitium, extat decretum Liberii Pontificis in  
 decretis, cap.7, q.1, Suggestum nobis est, et Nicolai sciscitantis qui  
 15 movent persecutioes et alia adversa pro salute gregis sustinenda non  
 esse, non autem irato animo ubla de causa gregem deserendum. Aliquan-  
 do licuit episcopis abesse a suis gregibus, ad breve tamen aliquod  
 tempus permissum erat, modo semper id etiam fiat sine ullo Ecclesiae  
 detimento. Quod colligimus ex Concilio Tridentino, sess.23, cap.1, l. de  
 20 reformatione, ubi dicitur: Qui aliquantis per tantum absunt, ex vete-  
 rum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt.  
 Sed quid dicendum est de illis qui per spatium trium annorum a sua  
 dioecesi absunt? nisi eos praecepto divino quo mandatum est oves suas  
 cognoscere, pro iis sacrificium offerre et pascere, non obedire, et  
 25 gregem suum more mercenario deserere, immemores divinorum beneficio-  
 rum, ut decretum est aduersus istos in Concilio Tridentino, sess.23,  
 cap.1, de reformatione; quod quidem decretum valde huic sententiae me-  
 ae favere videtur, ne episcopi a grege suo abessent et per multum spa-  
 tium temporis gregem suum derelinquerent.  
 30 Sed quid dicendum est ad illud aliud quod proposuimus an Pontifi-  
 ci Romano liceat concedere episcopis non residere in ecclesiis suis

/ absque offensione iuris divini? Exploratum dico ad hoc habuimus sententiam, quod Papa non potest dispensare in iis quae sunt de iure divino; modo si residere in Ecclesiis sit de praecepto divino, non residere in eis Papa dispensare vel concedere non poterit. Sed videntur 5 dum est an sit haec residentia de iure divino, et deinde respondebimus ad argumenta superius adducta contrariae partis.

Primo mihi videtur, salvo semper iuditio Amplitudinis tuae, de iure divino esse quod epistoli residere personaliter teneantur in suis dioecesibus. Ad cuius rei veritatem sufficeret mihi decretum Concilii Tridentini, sess. 25, cap. 1, ubi incipit: "Cum praecepto divino mandatum sit, etc." Et paulo infra: "Quae omnia nequaquam ab his praestari, etc., qui suo gregi non assistunt, sed mercenariorum more deserunt". Ergo praeceptum est divinum assistere ecclesiis, et relinquere eas mos est mercenariorum, ut inquit Dominus. Tamen addam supra 10 quod fundamentum decretum Concilii fundatum est. Supra illa dico verba Pauli, in Act. 2, c. 20: Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, etc. In quo, inquit Paulus, non super quem, ad ostendendum, ut mihi videtur, quod perpetua consuetudo inter gregem et pastorem esse debeat; itaque eum regere et non abesse 15 divini iuris est, idque munus per se ipsum et non per alios adimplere; et ideo bene notat Caetanus, 2. 2<sup>ae</sup> q. 185, art. 5, illa verba Domini ad Petrum: Pasce oves meas: "Quia eius officium erat pascere oves, non dixit, fac pascere per alios oves meas," et illa verba etiam Apostoli, Oportet episcopum doctorem esse: "Non dicit, inquit Caetanus, 20 oportet episcopum habere doctorem, et in ordinatione episcopo dicitur: Vade, praedica populo Dei, et non dicitur: Mitte ad praedicandum". Haec Caetanus, ubi supra, ad insinuandum quod episcopi sub praecepto divino quorum est cura animarum tenentur personaliter residere in ecclesiis suis, et ideo antiquitus illi episcopi qui se absentabant a grege suo, privabantur Christi communione, ut in epistolis Damasi, epist. 4, et Athanasii notatur. Ex quibus omnibus procul omni du-

~~bis~~

*1* bio inferre possumus paeceptum residentiae esse divinum. Restat so-  
lum ut respondeamus ad argumenta superius adducta contrariae partis.

*Et primo ad illud, quod causa salutis vitae suae liceat pastori  
a grege suo discedere, dico ego quod, si manifestum periculum vitae  
5 esset, consulere sibi posset; videndum tamen est, ne hoc sit subter-  
fugium simulatorum pastorum tanquam mercenariorum, quoniam si causam  
suam integerrimam ostendere cuperent, oportet scriptis legitimis eam  
proferant; causas enim episcoporum quibus adsunt a suis dioecesibus  
manifestari oportet, non somniis vel, ut vocant, avaniis Turcicis, sed  
10 legitimis documentis, et aliis statutis servatis in Decreto Concilii  
Tridentini, sess. 23, c. 1. Quae omnia videri debeant citatis citandis,  
servatis servandis; aliter ad moram calumniam ac mendacium sunt refe-  
renda.*

*Ad secundum, quod quemadmodum dispensare potest Papa in duabus  
15 beneficiis incompatibilibus, etc., respondeo: etsi Papa in hoc dispen-  
sare possit secundum ius antiquum, in hoc tamen de residentia episco-  
porum dispensare nequit, quia ut episcopi residere debeant in ecclae-  
siis, Spiritus Sanctus eis tanquam episcopis hoc ordinavit: idcirco  
diversum est unum ab alio.*

*20 Ad tertium respondeo cum Navarro in Manuali, in cap. 29, n. 121, il-  
lud semper intelligendum esse, quando huiusmodi obsequium redundat in  
utilitatem Ecclesiae; alias sola voluntas Pontificis non sufficit. Ad*

*Ad quartum dico cum eodem Navarro, ubi supra: Etsi christiana &  
. caritas id postulat, scilicet iuvare ecclesiam alterius et commodum  
25 eius anteponere proprio, dummodo ex absentia episcopi populo non re-  
dundaret maius damnum, nihilominus, inquit Navarrus, oportet quod cau-  
sa huiusmodi sit approbanda in scriptis a Romano Pontifice aut Metro-  
politano aut, eo absente, suffraganeo episcopo antiquiore residente,  
qui idem Metropolitani absentiam probare debet. Haec breviter dicta  
30 videntur mihi sufficere solvendis argumentis primi propositi; nunc ad  
secundum dicendum est, et argumenta in contrarium adducta pro viribus*

*/ meis solvenda.*

F<sup>¶</sup> primo illud quod dicunt, episcopos immediate recipere potestatem a Romano Pontifice, dico minime esse verum, quia immediate et tanquam a causa principali instituti sunt à Deo, qui solus eis potestatem confert, ut constat Act., c.20; et ad Ephes., c.4, et per Hieremiam, c.3, loquendo de episcopis; a Romano autem Pontifice ministraliter, ut ita dicam, dependeant, quia Christus ordinavit ut in Ecclesia sua cum auctoritate designaret unicuique ecclesiae pastorem qui sit recepturus potestatem iurisdictionis a Deo veluti a causa principali.

*10* Ad secundum dico auod illa verba soli Petro tunc dicta "ad successores Petri etiam extenduntur, itaque etiam ad omnes episcopos a Pontifice constitutos; ad ipsos etiam spectat pascere gregem suum de iure divino, quod personaliter praestare tenentur. Ita docet Augustinus, lib.de pastoribus, c.13.

*15* Ad tertium respondeo cum Caetano: quod est per accidens, ab arte relinquitur nec infirmat rationem persolidam; ideo si episcopi ~~q̄liam~~ aliquando per accidens, legitima causa supposita, solent exercere per alios aliquos actus, hoc non destruit quod ad eos per se de iure divino facere spectat.

*20* Ad quartum respondeo quod Papa, licet non possit dispensare in iis quae sunt de iure divino, itaque nec de residentia dispensare possit, declarare tamen possit, quia subsit legitima causa, illud ius cessare, ut de voto quod ex iure divino, est servandum.

Haec igitur breviter perstrinximus adversus eos episcopos qui *25* tantuta conscientia gregem suum se absentibus bene recteque per alios regere et per spatium trium annorum et ultra abesse a suo grege volunt, arbitrantes quod alii qui non sunt veri pastores gregem suum amore pascent, infirmum consolidabunt, aegrotum sanabunt et confractum alligabunt, abiectum reducunt et perditum quaerunt, non tamen haec *30* faciunt quae verum pastorem decet agere, sed tantum habere sua, non ea quae sunt Iesu Christi solliciti sunt; et licet saepe qui vicem

I = 77 (suite 8)

I = 77 (suite 8)

✓ gerunt verorum pastorum nec cum auctoritate, nec cum potentia gregem suum regant, ut [dicit] Dominus per Ezechiem, tamen suffulti timore insipientes lupos deserunt gregem, et eum devorandum delinquunt, quia ii non sunt illi veri pastores, qui salutis gregis honorisque  
5 Dei causa gregem pascunt, ac custodiunt, nec sunt ii qui officium in quo constituti sunt per Spiritum Sanctum magis considerant quam dignitatem et proprium honorem et lucrum capessendum. Ad haec omnia sententiam ac iudicium Amplitudinis tuae expectamus, cui nostras humili-  
ter subicimus.

10

Nicolaus Viti Gozzi filius

Patritius Reip. Ragusinae.

Mss. Romana S.I. Miscellanea, p.287-293. Signat.autogr.

En tête ce titre: Brevis quaestio de residentia Episcoporum, Nicolai Viti Gozzi, patricii Reipublicae Ragusinae. Ad Illustriss<sup>um</sup> Cardina-

15 lem Bellarminum.